

64 (Q. 40) De Hymnis

- ad M. *Corpus domas jejuniis*. Sæculi XVIII.
ad L. *Te deprecante*. Sæculi XVIII.
61. Omnium Sanctorum, 1 Novembris :
ad V. et M. *Placare, Christe, servulis*. Rabanus Maurus ?
ad L. *Salutis æternæ dator*. Rabanus Maurus ?

IN OFFICIIS VOTIVIS

62. De SS. Angelis. Hymni sunt iidem qui recensentur in Festo Apparitionis S. Michaelis Archangeli, n. 41.
63. De SS. Apostolis. Iidem sunt Hymni ut in Communi Apostolorum, n. 19.
64. De S. Joseph, Sponso B. M. V. Hymni sunt iidem qui recensentur in Festo Patrocinii S. Joseph, n. 39. Cfr. n. 36.
65. De SS. Eucharistiæ Sacramento. Ut in Festo SS. Corporis Christi, n. 18.
66. De Passione D. N. J. C. ad V. *Mærentes oculi*. Rmus Thomas Strozieri, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Passionis D.N., Episcopus ultimo Tudertinus, sæculi XVIII.
ad M. *Aspice, infami Deus*. Idem.
ad V. *Sævo dolorum turbine*. Idem.
67. De Immaculata Conceptione B. M. V. Ut in Festo, n. 30. Cfr. n. 28.

Prædicti Hymni omnes reperiuntur in Breviario Romano ; præterea dantur in Appendice Breviarii circiter 40 Hymni pro Officiis concessis aliquibus locis : ex his indicantur hic ii qui dicendi sunt in Festis quæ celebrantur in Diocesi Mechliniensi.

IN FESTIS PROPRIIS

68. Expectationis Partus B. M. V., 18 Decembris : Hymni sunt iidem qui recensentur supra pro Tempore Adventus, n. 8.
69. Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, Dominica III post Epiphaniam ;
ad V. *O Lux beata cœlitum*. S. P. Leo XIII.
ad M. *Sacra jam splendent*. Idem.
ad L. *O Gente felix hospita*. Idem.
70. Orationis D. N. J. C. in Monte Oliveti, Feria III post Septuagesimam :
ad V. et M. *Aspice ut Verbum Patris*. Sæculi XVIII.
ad D. *Venit e cœlo mediator*. Sæculi XVIII.
71. Passionis D. N. J. C., Feria III post Sexagesimam. Hymni sunt iidem qui recensentur supra in Officio votivo de Passione, n. 66.

De Hymnis (Q. 40.) 65

72. Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C., Feria VI post Cineres :
ad V. et M. *Exite Sion filia*. Sæculi XVIII.
ad L. *Legis figuris pingitur*. Sæculi XVIII.
73. SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C., Feria VI post Dominicam I Quadragesimæ :
ad V. *Quænam lingua tibi*. Sæculi XVIII.
ad M. *Salvete, clavi et lancea*. Sæculi XVIII.
ad L. *Tinctam ergo Christi sanguine*. Sæculi XVIII.
74. SS. Sindonis D. N. J. C., Feria VI post Dominicam II Quadragesimæ :
ad V. *Gloriam sacræ celebremus*. Sæculi XVIII.
ad M. *Mysterium mirabile*. Sæculi XVIII.
ad L. *Jesu, dulcis amor meus*. Sæculi XVIII.
75. SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C., Feria VI post Dominicam III Quadragesimæ :
ad V. et M. *Pange lingua gloriosi*. Claudianus Mamertius. Cfr. supra n. 13.
ad L. *Lustra sex qui jam peregit*. Claudianus Mamertius.
76. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. Hymni sunt iidem qui recensentur supra in Festo, n. 48.
77. S. Gabrielis, Archangeli, 18 Martii :
ad V. et M. *Christe sanctorum decus*. Rabanus Maurus. Cfr. n. 41.
ad L. *Placare, Christe, servulis*. Sunt quædam strophæ ex Hymno ad V. et M. in Festo Omnium Sanctorum. Cfr. n. 61.
78. B. Mariæ V. sub titulo Auxilium Christianorum, 24 Maji :
ad V. et M. *Sæpe dum Christi populus*. Sæculi XIX.
ad L. *Te Redemptoris*. Sæculi XIX.
79. Maternitatis B. Mariæ V., Dominica II Octobris :
ad M. *Cœlo Redemptor prætulit*. Sæculi XIX.
ad L. *Te, Mater alma Numinis*. Sæculi XIX.
80. Puritatis B. Mariæ V., Dominica III Octobris :
ad V. *Præclara custos Virginum*. Sæculi XVII. Cfr. n. 30.
ad M. *O stella Jacob fulgida*. Sæculi XIX.
ad L. *O gloriosa virginum*. Venantius Fortunatus. Cfr. n. 28.
81. S. Raphaelis, Archangeli, 24 Octobris :
ad V. et M. *Tibi Christe splendor Patris*. Rabanus Maurus.
ad L. *Christe, sanctorum decus*. Rabanus Maurus. Cf. n. 41.

Mirum est quoteni medio ævo et postea compositi fuerint pro diversis Officiis Hymni; non solum provinciæ et dioceses, sed et multæ ecclesiæ habebant suum Hymnarium pro diversis Festis et Officiis ad laudem Dei, Mysteriorum et Sanctorum. Collectiones Hymnorum amplissimæ editæ fuerunt, et hodie dum eduntur; ex modernis indicantur quædam sequentes :

Daniel. *Thesaurus Hymnologicus*. Halis et Lipsiæ. 1841-1856. 5 vol.

S. LITURG. TRACT. DE OFF. DIV.

Mone. *Lateinische Hymnen des Mittelalters*. Freiburg im Breisgau. 1853-1855. 3 vol.
 Dreyes et Blume. Soc. Jesu. *Analecta Hymnica mediæ ævi*. Lipsiæ. 1886-1903. 41 vol. Continuatur publicatio.
 Chevalier. *Poésie liturgique traditionnelle de l'Église catholique en Occident*. Tournai. 1894. 1 vol.
 Daris. *Notices historiques sur les églises du Diocèse de Liège*. Tom. XV. Liège. 1894. In hoc Tomo describuntur Hymni Breviarii Leodiensis anni 1558, inter quos reperitur Hymnus pro Festo S. Rumoldi, Archidiocesis Mechliniensis Patroni, pag. 68, necnon Sequentia, pag. 221.

De Hymnis Officii divini exstant præclari antiquorum commentarii. Optimus prodiit: *Les Hymnes du Bréviaire Romain*. Etudes critiques, littéraires et mystiques, par l'abbé S. G. Pimont. Paris, Poussielgue. — 1^{re} partie: Hymnes dominicales et fériales du psautier (1874); 2^e partie: Hymnes du temps: Avent, Noël, Epiphanie (1878); 3^e partie: Hymnes du temps: Carême, Passion, Pâques, Ascension, Pentecôte, Trinité, Saint Sacrement (1884).

Nonnullorum Hymnorum notitia, et multorum translatio in gallicam linguam reperitur in præstantissimo opere: *L'année liturgique*, par Dom Guéranger. 15 volumes. Poitiers, Oudin. — Hujus operis Tomus I, de Adventu, prodiit anno 1841; ipse auctor opus perduxit usque ad Tomum IX qui explicit Octava Pentecostes; morte auctoris († 1875) interruptum opus mox continuarunt ab anno 1878 ejus discipuli, et anno 1901 editione Tomi XV perfecerunt. Quanti æstimatur patet ex eo quod in præfatione ultimi Tomi continuator potuit asserere operis, etsi nondum completi, 40 annorum spatium desiderata fuisse 50000 volumina.

Notatur etiam: *La poésie du Bréviaire*. Essai d'histoire critique et littéraire, par l'abbé C. Albin. Ratisbonne, Pustet. — Tome I, Les Hymnes (1899).

Q. 41. Quænam notatu digna veniunt de Hymno TE DEUM LAUDAMUS?

R. I. Inter Hymnos solemnior est *Te Deum laudamus*, superscriptus in Breviario Romano: *Hymnus SS. Ambrosii et Augustini*. Notatur enim in quodam Chronico, quod cum Augustinus ab Ambrosio, cunctis fidelibus urbis Mediolanensis adstantibus, anno 387, in nocte ante Pascha, 25 Aprilis, baptizatus esset, ad egressum e fontibus repente Ambrosius cantavit: *Te Deum laudamus*, Augustinus vero respondit: *Te Dominum confitemur*, et toto obstupescente populo, ita Canticum totum Sancti viri alternatim cantaverunt. — Quidquid sit de hujus legendæ valore, certum est Hymnum in usu

fuisse medio sæculo V, aut saltem ab initio sæculi VI. In Ephemeridibus quibus titulus «Revue Bénédictine», controversia de auctore Hymni *Te Deum* erudite et perspicue discutitur, et graviora afferuntur testimonia quæ favent opinioni S. Nicetam, Episcopum ecclesiæ Remesianæ, in antiqua Dacia mediterranea (hodierna Serbia), ab anno 392 ad annum 414, ejus esse auctorem. (Cfr. *Revue Bénédictine*, Maredsous, VII, 1890, pag. 151, et XI, 1894, pag. 49; *Ephemerides Liturgicæ* IV, 1890, pag. 496; Cabrol, *Le livre de la prière antique*. Paris, 1900, pag. 157.)

II. Constat Hymnus *Te Deum* duabus partibus, quarum prior est Carmen ad Dei laudem, altera Hymnus matutinus.

Pars I continet: 1^o Dei, Domini, Æterni Patris quem omnis terra veneratur laudem per choros Angelorum in cœlis (¶ ¶. 1 Te Deum... — 6);

2^o laudem et confessionem Trinitatis per Ecclesiam triumphantem in cœlis, et per Ecclesiam militantem in terra (7 Te gloriosus... — 13);

3^o laudem Christi Redemptoris, Æterni Patris Filii, qui pro nobis natus ex Maria Virgine, morte devicta nobis cœlum aperuit, ubi gloriosus ad dexteram Patris sedet, unde Judex est venturus (14 Tu Rex... — 19);

4^o supplicationem auxilii pro famulis pretioso sanguine redemptis, ut salvi fiant, et in æterna gloria cum sanctis numerentur (20 Te ergo... — 23).

Pars II continet: 1^o testimonium nostræ quotidianæ laudis Dei (¶ ¶. 24 Per singulos... 25);

2^o supplicationem divini auxilii per diem quæ incipit, et misericordiæ quam speramus (26 Dignare... — 28);

3^o actum solemnem perennis fiduciæ (29 In te Domine...)

Conscriptum fuisse Hymnum pro matutinis Officiis, ex postremis ejus versibus facile colligi potest: *Per singulos dies benedicimus te; Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire*; quæ dicta aptata sunt viris Choro addictis, et quotidie Deo laudes in exordio diei persolventibus.

Superscribitur in Psalterio *Hymnus*, lato sensu; nam cum metrum non habeat, stricte dictus Hymnus appel-

lari nequit, et ideo in indice Breviarii refertur inter Cantica.

III. Sæculo VIII Hymnus iste cantatus fuit in fine Vigiliæ, seu Matutini, solummodo in Festis de Sanctis Papis Martyribus; a sæculo XI vero jam dicitur quemadmodum hodierna Rubrica Breviarii id præscribit, scilicet:

Dicitur post ultimam Lectionem Matutini « in omnibus Festis per annum, tam trium quam novem Lectionum, et per eorum Octavas, excepto Festo sanctorum Innocentium, nisi venerit in Dominica; dicitur tamen in ejus die Octava. Dicitur etiam in omnibus Dominicis a Pascha Resurrectionis inclusive, usque ad Adventum exclusive, et a Nativitate Domini inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive, et in omnibus Feriis temporis Paschalis, scilicet a Dominica in Albis usque ad Ascensionem, excepta Feria secunda Rogationum in qua non dicitur. » (Rubricæ generales, Tit. XXXI, n. 1.)

Præterea Ecclesia in majoribus quibusdam et solemnioribus functionibus hunc Hymnum adhibet, ex. gr., in Consecratione Episcopi, in Benedictione Abbatissæ, in Benedictione et Consecratione Virginum; in Benedictione et Coronatione Regis; in Processionibus pro gratiarum actione, et in Translatione SS. Reliquiarum insignium; etc.

ARTICULUS III

De elementis quæ pertinent ad Orationem

§ I. ORATIONES

Q. 42. Quænam elementa Officii divini proprie dicuntur Orationes? Quare?

R. Omnia hucusque recensita Officii divini elementa sunt Orationes in lato hujus vocis sensu, etiam ipsæ Lectiones, quæ sunt non solum ad instructionem, sed et ad ædificationem. Nihilominus continet Officium divinum preces quasdam, quæ Orationes in strictiori vocis sensu ab Ecclesia vocantur, cum eminenter op-

portunæ orationis qualitates et characterem habeant. Etenim preces istæ, specialiter Orationes dictæ, in compendiosa brevitate complectuntur summam, substantiam, collectionem omnium eorum, quæ tamquam fructum Mysterii seu Festi a Deo præcipue optamus consequi. Et ideo omnes Horæ concluduntur eadem recurrente propria diei Oratione. Excipiuntur tantum Prima et Completorium, quæ proprias suas Orationes habent, numquam mutandas, præterquam in triduo mortis Christi.

Antiquitus Horæ Officii divini omnes absolvebantur sola Oratione Dominica alta voce recitata; Orationes strictè dictæ enim Missæ Sacrificio erant destinatæ, et in Officium serius, sæculo nempe VIII, invectæ fuerunt.

Q. 43. Quid præmittitur Orationi? Explica. Quænam notantur in Rubricis de conclusione Orationum?

R. I. Orationi præmittitur salutatio: *Dominus vobiscum; Et cum spiritu tuo.* Istorum verborum, quæ desumpta sunt ex libro Ruth (Cap. II, v. 4), sensus est: Dominus in vobis maneat, et gratiam vobis det mecum devote orandi; non vacat mysterio, quod populus salutanti Sacerdoti respondeat, non *Et tecum*, sed *Et cum spiritu tuo*, (juxta Apostolum, in II ad Tim., Cap. IV, v. 22, et ad Galat., Cap. VI, v. 22); quasi respondentes optent Dominum implere spiritum ejus devotione, qua magno cum fervore pro omnibus oret, ita ut ejus oratio non solum lingua proferatur, sed multo magis corde et spiritu. (De Ponte, *De Christiani hominis perfectione.* Tom. IV, Tract. 2, Cap. II.) Post salutationem dicitur insinuatio seu indictio Orationis per verbum *Oremus*, quod spectat et Sacerdotem et populum, ut communis sit, ore et corde, gratiarum actio et petitio.

Sacerdos, etiam quando solus Officium recitat, Orationi præmittit v. *Dominus vobiscum*; intendere namque debet se loqui cum Ecclesia; idipsum a Diacono quoque præstatur, absente Sacerdote, vel de illius præsentis licentia; ab aliis autem pro *Dominus vobiscum* semper pronuntiatur v. *Domine exaudi orationem meam*, et respondetur: *Et clamor meus ad te veniat.* (Rubricæ generales, Tit. XXX, n. 3.)